SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII

Epigrammatum

OCTERNIO UNDECIMUS.


Nobili, pietate, & eruditione præstanti Viro

DN. JOACHIMO RUPNOVIO

dedicatus.

Ad Lectorem.

Hæc qvoq;, Lector amans, tibi Carmina mitto legenda,
Qvæ mihi privatim scribere cura fuit.
Si vacat, atq; lubet, privatim tu qvoq; Lector,
Perlege, post tineis mitte terenda, Vale.



Humanissimo Viro,

D. IOACHIMO RVPNOVIO,

Cœtus Krzeloviensis pastori dignissimo amico meo honorando. S. P. D.

TIbi etiam Vir nobilis & humanifs. D. IOACHIME RUPNOVI, hunc undecimum Epigrammatum meorum Octernionem lubens offero. Non qvòd eum judicem tersis tuis auribus dignum, (qvid enim tale a me proficisci qveat, qvod Viro docto, qvalis tu es, summopere placere possit:) Verùm qvod animi mei singulariter in te propensi significationem, cùm neqveam aliâ, hac saltem ratione, declarare cupiam. Ab aliis majora & plura, ut meretur tua virtus & eruditio, expecta: a me autem amico tui observante, istum per exiguum ingenii mei partum, qvâ tibi offertur, benevolentiâ & candore, accipe. Si sese unqvam, alio genere ostendendi, amoris mei erga te, obtulerit occasio, facultasqve mihi id præstandi fuerit, non abfuero officio meo. Interea vale, & me tui amantem redamare perge.

SIMON PISTORIUS.

Ad D. Ioachimum Rupnovvsky, Virum nobilem & concionatorem egregium.

ET tu RUPNOVI, *natalibus inclyte claris,*
Artibus, atq; aliis dotibus, aucte bonis,
Virtutem præ aliis adamasti pectore toto
Rebus, iners Mundus qvas habet in pretio.
Nec te incendit opum, nec honorum vana cupido,
Nec pectus torret cæca libido tuum.
Verum forti animo contemptis omnibus istis,
Christum conseqveris proximiore gradu.
Huic tu consecras te totum, mancupioqúe
Ipsi te dedis, dedis & obseqvio.
Atqve Evangelii doctor, via qvæ sit ad Astra
Arctior, arguto providus ore doces.
Perge, Vir egregie, ut cæpisti, & confice calce,
Qvod reliqvum est stadii, qvâ præit ipse Deus.
Namqve manet merces te certa laboris, & ingens,
Cum mundi haut fluxis æqvi paranda bonis.

Ad D. Christophorum Stoinium, Virum nobilem in Volhinia docentem.

CHRISTOPHORE, *eloqvio præstantis digna Parentis*
De triga Fratrum progeniesqúe prior,
Hinc qvæ te a nobis divisa Volhinia nostris
Sustulit ex oculis, e Patriaqúe procul,
Cum qvo cultus amor nobis fuit, actaqúe vita
Svaviter, in Cœtus Christi adamante sinu,
Digna tuis meritis, tantisqúe laboribus æqva,
Qvos inibi exantlas, reddat an illa tibi?

An te non alio dignetur & illa favore,
Qvo natæ matrem, qvo pueriqve Patrem?
Sic reor; huic etenim divinæ Præco salutis
Additus, augustam pandis ad Astra viam.
Ipse tui oblitus, curâ mordace fatigas
Te, advigilans ne qvem devius error agat.
Sæpe docendo, instas operi, semperq́ve monendo,
Vt sic æternum teq́ve tuosq́ve bees.
Persta in eo ad finem; namqve hîc ut non sit Amice,
Palma, sed in summo te manet illa Polo.

Ad genere nobilem, & doctrina præstantem Virum D. Samuelem Golecium.

DIGNA *Theophrasti proles, & alumne,* GOLECI,
Divinæ Sophiæ, Pieridumq́ve chori,
Cunctarum arcanas rerum cognoscere caußas,
Nosseq́ve Phœbææ qvem juvat artis opus.
Qvando dabis nobis, qvem concoqvis igne, liqvorem?
Nodosam possit tollere qvi podagram.
Et sanare omnes morbos, moribundaq́ve membra
Manibus ex ipsis qvi revocare qveat.
Vera loqvi fas sit nobis, turba illa qvod usqvam
Galenistarum non qveat efficere.
Illa qvidem jactet sese, non hæc tamen unqvam
Par, SAMUEL, *Chymicis artibus extiterit.*

Strena,
D. CHRISTOPHORO Ostorodo Viro & Theologo clarissimo.

Dum

DUM vetus egreditur, novus incipit, OSTORODE, annus
Certatur studiis undiqve & officiis.
Mutua missiculat munuscula amicus amico,
Patronoqve Cliens dat bona verba suo.
Illa ego cùm neqveam tenuis dare, do bona verba,
Qvorum præcipuè summa sit ista brevis:
CHRISTOPHORE, ut novus hîc Orbi qvi prodiit annus,
Secum fata tibi prosperiora vehat.
Vt, cedente anno, qvam vix, ægreqve trahebas,
Sit tua, successu jam meliore salus.
Qvamqve vales animo, valeas tam corpore, donec
Vivere in hoc fragili pectore IOVA dabit.
O qvi cuncta potes, vis & dare cuncta rogata,
Qvæ facimus, votis annue, IOVA, piis.
Immò fac nostrum longè exuperantia votum,
Qvæ tibi præcipua est, pro bonitate tuâ.
Sic tuus OSTORODUS pollens virtute docendi
Vtilior nobis postmodò Doctor erit.
Qvid dico nobis! tua qvin Ecclesia fructum
Insignem ex ejus ferre salute potest.

Ad clarissimum V. Dn. Martinum Ruarum.

DELICIUM Christi cœtus, amor, una voluptas,
Parsqve animæ CRELLI magna, RUARE, mei,
Dic, neqve enim nescis, qvo nunc apud extera Regna
Succedat pacto religionis opus?
Qvot CHRISTO, & qvales homines hinc inde lucratus,
Inscripsisti Albo, dulcis Amice, tuo?
An proditurus guttarum roris ad instar
Vberior fratrum est grexqve manusqve brevi.

Sic puto; nam qvis te nescit facere omnia Christi
Nominis augendi, care Ruare, tui.

Ad Generosum Virum Dn. Andream Moscorovium, cum ei filiolus natus esset.

CLARE, *nec ingenii Patris, nec degener oris,*
Andrea, Musis dedite Pieriis,
Qvam suscepisti carâ de Conjuge prolem,
Spem magnam Generis, grande decusq́ve tui.
Hanc beet ex alto, rerum Pater optimus auctor,
Ampliter omnigenis accumuletq́ve bonis.
Huic sua Parnassi de vertice flavus Apollo,
Donentq́ve Aoniæ plurima dona Deæ.
Vt referat, famæ præstantis Avumq́ve Patremq́ve,
Doctrinâ, genio, moribus, ingenio.
Cresce puer, risuq́ve Patrem cognoscere svesce,
Et rue in amplexus Matris amate tuæ.

Ad D. Iohannem Stoinium Ministrum & Theologum eximium.

O qvàm te dicam nimium, nimiumq́ve beatum
Immensi præco, IANE *diserte, Dei!*
A curis procul humanis, cælestia tantùm
Mente qvòd evolvas nocte dieq́ve tuâ.
Non insanus amor & habendi, & honoris, & ulla
Infanda haut unqvam te capit illecebra;
Ast aut rimaris sacri mysteria verbi,
Aut arcanâ oras voce subinde Deum.
Aut populo CHRISTI *proponis Dogmata dia,*
Æternæ monstrans dulce salutis iter.

Aut fratrem invisis, consolarisqve jacentem,
Proqve eius carâ vota salute facis.
Deniqve qvicqvid agis, tantum est cæleste, piumqve,
Spirant divinum cuncta Ministerium.
Tam sanctâ vitâ cui fas, obitum ante fruisci,
Iure tibi felix nonne vocandus hic est!

Ad lectissimum nobilissimumqve Iohannem Moscorovium.

Qvod fore credebam, iuvenum lepidissime in horas
Clarior evadis, IANE, *& amabilior.*
Acre iubar virtutis enim, vis ingeniiqve,
Ad sese qvem non allicuisse qveant?
Haut alio summam conscendere Gloriæ in Arcem
Hoc qvàm difficili tramite possit homo.
Macte animo, iuvenis præstans, & moribus istis,
Solus qvi multos exuperabis eris.

In Polyplusium.

Res tibi congesti multas, Polyplusie, dudum,
Arca tua ingentes maxima servat opes.
Sunt mille argenti, sunt auri multa talenta,
Vix olim Cræsus ditior ipse fuit.
Plura tamen Captas, plus semper & appetis, estqve
Ex qvacunqve lucri re tibi dulcis odor.
Sic dat multa Deus multis, non dat satis unqvam,
Et qvo res crescunt: hoc mage crescit amor.

Epigramma Nuptiale,

Scriptum in gratiam nobilis adolescentis D. THOMAE Piscecionis affinis carissi.

Qvod fore vix unqvam ſperabam; Te qvoqve blandæ
Inceſſit Veneris caſtra Cupido ſeqvi,
O qvantum Thoma nunc es mutatus ab illo,
Cui tantùm Muſis cura placere fuit.
Ha! fueras oſor nuper, iam magnus amator,
Femineæ Gentis, conſpiciendus ades.
Scilicet ante alias tum Turba novena placebat,
Cùm tibi ſpes nulla in Virgine fulſit opum.
At cùm femineæ delectam examine turbæ,
Indole præclarâ, dat Cytherea tibi (netæ,
Pulchram ipſam, & pulchra, Sponſam, cum dote mo-
Rurſum præ Muſis hæc tibi ſola placet.
Qvas priùs ardebas, iam refrixêre Camenæ,
Contemptæqve iacent, & ſine honore lyræ.
Vnam adamas Sophien, hæc eſt tua ſola voluptas,
Hæc ingens animi ſola cupido tui.
Omninò Cor habes Thoma, qvod Protea præſtas,
Absqve tamen vitio, commoditate tuâ.
Ergo tuo deſiderio fruere, & cape dextro
Qvam donat Sophien auſpice Diva tibi.
Connubium non infelix, haut vanus aruſpex
Promitto, optandas & tibi, Sponſe, vices.
Hac modo tu decimâ nunc ductâ virgine, ne poſt
Suſtineas Muſas deſeruiſſe novem.
Hanc cole ritè fide ſtabili, cole ritè viciſſim
Has qvæ te ſtudiis excoluêre Deas.
Sed facies nihil huius egens monitoris Amice,
,, Cui mens inſulſa eſt, Muſa placere neqvit.

Ad D. Petrum Stoinium juvenem nobilem & pietate præstantem.

Scis PETRE, *qvid vulgus dicat! Mirabilis omnis*
PETRUS, *an a vero dissonet, ipse vide.*
In reliqvo qvăqvam haut in te hæc proverbia quadrẽt,
Vnum est qvo mirus tu videare tamen:
Nempe (qvod est perrarum) adamatâ Cœlibe Vitâ,
Vis qvòd ut Angelicis annumerére Choris.
Maxima vis, immo & præstas, mirabilis usqve
PETRE, *tuo studio, teqve juvante Deo.*
Admiror, non invideo, mirabilis uno
Hoc PETRE, *te sanctus provehat ipse Deus.*
Cetera non PETRUS, PETRUS *hoc mirabilis uno,*
Sic ævum sanctè transige, PETRE, *tuum.*

Ad D. Ioachimum Rupnovium.

Qvos conscripsisti maternâ voce libellos,
Non das victuris cur, IOACHIME, *typis?*
Materia hæc scriptu digna est, digna utraqve lectu,
Qvam prudens lector non sine fruge legat.
Illic inveniet tum Christi Ecclesia qvæ sit
Vera, & apud qvos sit, qvo invenienda modo;
An qværenda priùs sacri qvàm pagina Verbi,
Qvanta potestas sit, qvæ data iura piis.
Illic inveniet tùm qvæ credenda cuivis
Seu sint, de summo Numine, sive minus.
P[illegible]è Sophistarum tricæ panduntur, & ipsum
Scripturæ verum pingitur ex adytis.
Qvos conscripsisti maternâ voce libellos,
Ergo victuris da, IOACHIME, *typis.*

In Anagramma
D. SIMONIS RABONII
Symmystæ Carissimi.
NISI AMOR BONVS.

QVæ bona fortunæ vulgi pro more vocamus,
Non ea cordato sunt bona vera, puto.
Causa, quòd intereunt hæc singula & omnia, solus
At BONUS *æterno tempore durat* AMOR.
Ergo tuum plusqvam verum est Anagramma RABONI,
(Cætera cum pareant) non nisi AMOR BONUS *est.*

Ad nobilem Iuvenem PETRUM Ibramum.

PAuca tuo volui Natali scribere nuper
Carmina, verùm aberas, optime PETRE, *domo.*
Vt priscus servetur honos nihilominus & nunc
His ego versiculis te ligo PETRE, *tribus.*
Vive diu, sed vive Deo, & Virtutis amator
Esse stude, haud meliùs vivere PETRE *potes.*

Ad Dn. Thomam Geyzanovium popularem carissimum.

QVàm tibi sit plenum fidei dulcissime Thoma,
Pectus, & augustæ qvàm Pietatis amans,
Patria, cognati, res, omnes spesq; relictæ
Ob, contemptum aliis, Relligionis opus,
Indefessus amor CHRISTO *per scripta lucrandi*
Sive tibi junctos sangvine, sive minùs,
Assiduum studium peragendi puriter ævum,
Sunt argumento, frater amande, bono.
I pede inoffenso. cœpisti, candide Thoma,
Qvo benè, pervenies lætus ad Astra Poli.

Ad Dn. PETRUM Morzkovium, Virum nobilem & eruditum.

PETRE, Ministrorum Soboles bona Patris, Aviq;
Qvos jam sustulit, heu! mors inimica tibi,
Munere non dispar illis, & moribus almis,
Qvem Musæ studiis excoluêre suis,
Qvando dabis nobis tua Scripta arguta legenda,
In lucem è turpi restituenda situ?
Scripta PETRE, ingenuis qvæ qvivis artibus auctus,
Et candore bonus, judicioq; legat
Scripta, hodierna legat qvæ non modo pravior ætas,
Sed legat, atq; probet candida posteritas.
Vive precor, vegetos Pylii senis integer annos,
Et vive in laudes, optime PETRE, Dei.

Ad Generosum pietate & eruditione excellentem D. Hieronymum Moscorovium Mæcenatem meum colendissimum.

Docte, tuis Natalitiis HYERONIME, præstans
Christiadumq; Gregis, Pieridumq; decus,
Ecce tuas pulsatq; fores, vix luce coortâ,
Teq; suis vinclis nostra Camæna ligat.
Si dicas, sum liber, Eqves sum namq; Polonus,
Qvid mihi cum vinclis, libera colla volo?
Subjicio, verùm esse, sed his liberrima Regum
Pectora strînguntur, Magnanimûmq; Ducum.
Dissolvo tamen, at tu dehinc, velut ante fuisti,
Te fore Fautorem polliceare mihi.
Vive Deo & CHRISTO, nobisq; tuisq; tibiq;
Et serò tandem mortuus astra pete.

Ad D. Iohan. Crellium, V. eruditione præſtantem, & Theologum inſignem.

Crelli, clare Vir eruditione,
Crelli, Theologi cui diſerti
Aßurgunt, cui multa contulêre
Sancti numina Spiritus abundè
Doctrinæ, & genii beata dona,
Qvi ſcribisqve, docesqve, nunc qvod ætas
Præſens audit, & inſeqvens probabit.
Crelli, aut iudicio politiori,
Aut ſanctâ pietate, moribusvè
Aut purâ tibi Veritate qvis par?
Macte his dotibus, ô corona fratrum,
O & candide flos domeſticorum
Meorum! Scio te daturum opima
Et condigna tui dein beati
Ingenî monimenta plura nobis
Qvod opto, ſtabilem modò ſalutem,
Et vitam tribuat tibi perennem
Is qui te cumulavit hiſce donis.

Ad Iacobum Reynovicium, Adoleſcentem egregium lepidisſimumqve.

Hæc in qvæ incidimus fatorum ſecula lege,
Retrò ſunt actis deteriora ferè.
Concutitur totus bellis ingentibus Orbis,
Atqve Iacobe, *ſuâ iam propè mole ruit.*
Nec tantùm Mars Regna ferus populatur & urbes,
Sed qvoqve Mors hominum demetit atra genus.
Dira lues pasſim regnat, lue peior in auſus
Cogit peſtiferos & malè ſvada fames.

In furta, & cædes Mortales armat, & ipsas
Matres in natos viscera cara suos.
Nec modus ullus inest, qvin deteriora seqvuntur,
Inqve diem, pejus nos mala cuncta premunt.
Invigila precibus lachrymas super adde, IACOBE,
Vt nobis fiat mitior ira Dei.
Vt qvæ post surgent, divino Numine dante,
Sint bona, sint cunctis secla beata. Vale.

Mauritio Videmanno, Scholæ Racoviensis Collegæ primario Sponso.

Post indefessos Regionum deniq; cursus,
Qvas VIDEMANNE *tibi, cura videre fuit,*
Tandem externorum domus, hospitiumq; POLONA
Terra, velut Patria est altera, visa tibi,
Altera visa tibi patria est, adamataq; sedem
Vt foret hîc etiam figere certus amor.
Et certè ratio est, istâ consistere terrâ,
Præ reliqvis, placuit cur, VIDEMANNE, *tibi:*
Hîc vox sana Dei, qvâ maximus hactenus Orbis
Penè caret, CHRISTI *Gensq; reperta tibi est,*
Gens, qvæ ceu flagrat divinam Relligionem
Sic fugit humanæ Traditionis opus.
Qvæ ceu nil reputat Pietate antiqvius alma,
Sic vaga contemnit qvæ bona mundus habet.
Hæc nos unà ambos, natali sede relictâ,
Sistere in arctois caussa coëgit agris,
Hæc eadem (spero) nos his retinebit Amice,
De nobis summo prospiciente Deo.

Intereà qvam GETRUDEM *tibi dia Puellam*
Gratia dat, ſtabili conſociatq́; thoro,
Accipe ovans, VIDEMANNE, *viden' velut ore pudico*
Patre jubente, tibi ſe vovet illa Viro:
GETRUDIS *tibi ſe propriam dat, te proprium illi*
Tu qvoq; da, & firmâ mutuum amate fide.
Voti hæc ſumma mei eſt: nexu concordiæ ahenæ
Sub juga conjugii vos Deus ipſe juget.

In Hyperephanum.

Eſt doctrina tibi fateor, prudentia ſolers,
Multiplici rerum cognitione cluis;
Nec tantùm tibi dona adſunt Plæbeia, largè
Qvæ tibi Pierides contribuêre Deæ.
Sunt etiam bona multa domi, ſunt æris acervi,
Dives es, ac ideò magnus haberis homo.
Faſtidire tamen tenues, Hyperephane, noli,
Nec parvos alto temne ſupercilio.
Qvi prodeſt aliis, plusqvàm ſe ſuſpicit omnes,
Hic ſapit, hic demum ſuſpiciendus homo eſt.

Ad Iohannem Crellium, & Iohannem Stoinium, fratres intimos, & Amicos conjunctiss.

Si ſpecimen qvisqvam ſinceri qværit amoris,
Atq; duos pariles noſſe in amore cupit,
Non eat Argolicos ad Theſea, Pyrithoumq́;,
Nec non Hyrtaciden, Eurialumq́; Troes.
Aut alios paucos, qvorum admirata vetuſtas
Æternas retulit nomen in hiſtorias.
En clarum noſtra exemplum tibi ſecula præbent,
En tibi par fratrum nobile amicitiâ.

CRELLIUS *ille oculus, lux ille* STOINIUS, *almi*
Pieridumq; Chori, Christiadumq; Chori,
Tàm bene sunt ambo conjuncti corpore bino,
Nempe unam spirent, ut duo penè animam,
Ambo pares ætate, pares virtutibus ambo,
Ambo pares studiis, artibus ambo pares.
Vnum cor illis anima una atq; unica mens est,
Vnica pectoribus vita duobus inest.
Vt parcant capiti tristissima fata STOINI,
CRELLIUS *haud dubitat fata subire bonus.*
Vt parcant animæ CRELLI, *ipse* STOINIUS *atra*
Vel bis non renuit fata subire pius.
Vivite concordes animæ, ad cælestia natæ,
Vivite, de cælis vos liget acer Amor.
Hunc vestrum tàm mirificum miramur amorem,
In vestra & cupimus vivere amicitiâ.

Gratulatorium.

Ad Doctorem Martinum Piseciorem Affinem ex Italia redeuntem.

Doctrinâ clarus, titulis & Doctor onustus,
Qvod Martine, alio salvus ab Orbe redis,
O ego qvàm lætor, qvàm toto gaudeo corde,
Qvamq; tuo cupio protinus ore frui?
Atq; utinam mecum jam nunc Vir clare, sederes,
De rebus præsens & loqverére tuis.
Parva mora est, fiet: tantùm hoc tibi numina præstent,
Et decus & Patriæ Doctor esse qveas.

Manibus Tobiæ Accipitrini Patricii Oppolienſis amici & popularis ſummi & deſideratiſſimi.

Ingenio præſtans luſtris vix qvinq; peractis
Hos Iuvenis manes Accipitrinus habet.
Flete Meduſæi cultores fontis, Apollo
Flet Clarius, Muſæ, Mater amata gemunt,
Nos qvoq; Theſæo junctiſſima fœdere corda,
Heu! fracti gemitu, pectora concutimus.
Et qverimur ſortem, qvòd nobis invidet iſtud
Tàm citò, tàm doctum, tàm juvenile caput.
Sed fruſtra ah qverimur! naturæ penſio cunctis
Solvenda, & nullo tempore tuta ſatis.
Qvàm ſit vita fugax, incerta, caduca, breviſq;,
Qviſqvis es exemplum non leve lector habes.

In obitum Iacobi Piſtorii Bregenſis Parentis cariſſimi deſideratisſimiqve.

Defunctus ipſe loqvitur.

QVAM *breve Ver ævi, qvàm parvi temporis ætas!*
Qvam paucis præbet vita ſenile decus!
Vix mea me Coniunx natorum qvinqve Parentem
Fecerat, ut vitæ debita ſolvo meæ.
O mea progenies, animâ mihi carior ipſâ,
Auxiliis fueras nunc moderanda meis.
Obruitur ſolers mediis Palinurus in undis,
Vos habet in ſola naufraga puppis aqva.
Chriſte, gubernator navis, lectisſime Tiphy,
Hos ego do curæ, numinibusqve tuis.
Tu fac ubi ſapiens illis adoleverit ætas,
Organa ſint Regni non onerosa tui.